



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

371. De Nativitate Domini Nostri Jesv Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

658 *Sabbato Domin. 4. Adventus.*

Assumpt. B. V. Ama, & peperisti, amore concipitur & nascitur Christus.

Conf. 2. Quod etiam Christus concipiatur dolore & pœnitentiâ non semel, sed etiam, quoties cum digna pœnitentiâ redierit peccator, ita D. Anselmus Medit. cap. 2.

Conf. 3. Lustratis domibus nobilium Sanctorum, accedam, & ad Reginae Sanctorum Aulam, & ab ea petam. 1. insignem humilitatem. 2. Filialem timorem, 3. Promptissimâ obedientiam. 4. Inviictam patientiam, 5. Stabilitissimam cōstantiam. 6. Dulcissimam mansuetudinem. 7. Benignissimam misericordiâ. 8. Excellentem munditiam. 9. Pulchritudinem mentis & corporis. 10. Splendorem Sapientiae. 11. Potentiam fortitudinis. 12. Eximiam charitatem. 13. Dulcissimam voluptatem ab ubertate domus Dei manantem. 14. Rerum visibilium despicientiam. Harum virtutum actus B. Virgo Christum gestans in utero exercebat. Desiderabo iisdem adornari in adventu Domini mei.

MEDITATIO CCCLXXI.

De Nativitate Domini Nostri.

Vldebo Dominum meum, ut ait S. Greg. Homil. 29. in Evang. *De calo in uterum, de utero mediâ nocte, ut Solis radium è Crystallo illibate, & insensibiliter ad instar floris*

vel

vel roris cadentis exeuntem, & in notum illud *Præsepe* repositum. quod erat in extrema parte Bethleem, ad Orientem sub rupe excelsam prope civitatis murum. *Ecce, in hoc parvo terra foramine caelorum Conditor natus est.* inquit S. Hieronym. Epist. 17. Petam agnoscere beneficium, & gratus esse.

Conf. 1. Deum meum non tantum hominem factum, sed hominem pauperimum, extra domum patriam, extra diversorium, extra cunas, in medio hyemis, in stabulo, in præsepi, inter animalia natum, fascijs constrictum, paleis & fœno se calefacientem, præ frigore tredientem, præ dolore illacrymantem, præ fame & siti ab uberibus pendentem, præ charitate nimia, quâ dilexit Patrem & me, ab ipsis cunis mori incipientem. *tenerrime totis conatibus in amplexus meos nitentem, & delicatis brachijs suis stringere volentem, & benedicti oris sui halitu me vivificantem, egone inter hæc amoris incendia non dum liquefiam, neque in ejus mores transfundar?* *En,* inquit S. Bernard. *serm. de Nativitate Domini. Nasciturus Dei Filius, eligit molestiora* Et Petrus Damian. *serm. 11. Præsepio reclinatus legem Martyrij præfigebat.*

Conf. 2. Quomodo tota Divinitas mihi mittat omnem fructum sanctissimæ Humanitatis suæ, salutando me delectamentum

ES 6 anima

660 De Nativitate Domini Nostri.

animæ suæ, ut loquitur apud S. Gertrudem, lib. 4. cap. 9. Et refert D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo. cap. 2. Pater, dicit: *Accipe Unigenitum meum, & da pro te: ipse Filius, tolle me, & redime te*. Et Spiritus sanctus apud Hug. de sanct. Viêt. Tom. 2. cap. 4. *Accipe, & redde*. Hac super re Angeli, ut ait Origen, *Gaudent venisse medicum, qui præstat, quod ipsi non poterant*. Bene igitur Bernard. serm. 3. in Cant. *Cognosce pecus, quem non cognovisti homo, adora in stabulo quem fugabas in Paradiso, honora præsepium, cuius contempsisti imperium. O præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum*. Exclamat S. Augustin. serm. 5. de Nativitate Domini.

Conf. 3. Verba D. Chrysostom. Orat. de B. Philog de Venerabili loquentis: *Hæc mensa vicem explet præsepis; nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum sicut tunc, sed undique Spiritu sancto convestitum*. Christus D. unicâ nativitate stabulum convertit in Sancta Sanctorum, in me autem tot communionibus nondum cor omnimoda munditiæ charitatæque repletum est. *Dominum IESUM Christum sanctificate in cordibus vestris.*

1. Petr. 3.

MEDI.